



Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico
Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

35. Responsio Reverendissimi Episcopi Apamiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

Placeat ergo mihi insinuare, quid sibi in hac causa faciendo proposuerit; jubeor enim, nisi Ipsa Regiae Declarationi acqueiverit, proventus Apamiensis Episcopatus detinere. Spero Dominationem Vestram Majestati Suæ gratificaturam, sique absolutum me iri necessitate tam durum ingratumque imperium explendi. Interim, &c.

A Montanban. 19. Febr. 1678.

*Humillimus & Obsequientissimus
Servus
Foncault.*

Documentum XXXV.

Responsio Illustrissimi & Reverendissimi Epi-
scopi Apamiensis.

Apamij 23. Febr. 1678.

Vehementer Vobis obstringor, ob exercitam in me humilitatem, simulque significo, me datis ad Majestatem suam litteris reverentiâ ac veneratione plenis, quantum videlicet. Supremo meo Principi debeo, rationes exposuisse, quibus conscientiam meam illigari sentio, ne Sacramentum fidelitatis inscribi permittam. Nec despero, Regem aequitatis amantem aliquid meis precibus delaturum. Planè si placeat Vobis ingens illud desiderium astimare, quo teneor voluntati Regiae obsequendi, facilè intelligetis, me, qui haec tenus nihil charius & antiquius habui, quam ut semper Principi obtemperarem, ne id quoque in præsenti causa agam, solo metu offendendi Dei prohiberi. Temporales proventus quod attinet, illi ut semper mihi oneri & periculo fuere, ob necessitatem reddendi de illis Omnipotenti Deo rationem, ita (si modò absit Ecclesiæ injuria) paratisimo

320 Dissert. I. §VIII. Documenta ex Gallico
simo animo feram, si alterius curæ ac fidei committan-
tur, qui illos reparandis Ecclesijs sublevandisque pauperi-
bus aptius impendat. Credo equidem, me cordi Deo futu-
rum, & cùm ipse unà cum Dignitate Episcopali caulam
quoque Ecclesiæ, quæ Jesu Christi est Sponsa, curæ ac fi-
dei meæ commiserit, sperare omnino mihi licet, eum
quoque vires susiecturum, quibus pacato latoque animo
infortunia omnia excipiam, quæ ob servatam ei fidem ob-
venire mihi poterunt. Sum interim eroque, dum vixerò

Apamij 23. Febr. 1678.

Humilissimus & Obedientissimus
Servus

Franciscus Episcopus Apamensis

Documentum XXXVI.

Epistola Reverendissimi Episcopi Apamensis
ad Illustrissimum & Reverendissimum D. Franciscum
de Harlay, Archiepiscopum Parisiensem.

Parisij 6. Junij. Anno 1679.

Totius Galliæ persuasum est, Illustrissimam Dominatio-
nem Vestram non parum contulisse ad novam Regis
Declarationem, quâ omnes Regni Gallici Ecclesiæ subdi-
Regaliæ jubentur. Crediderim vero communem hanc op-
inionem ex eo fluxisse, quod Illustrissima Dominatio Ve-
stra operam auctoratatemque suam in Comitijs Cleri Gal-
licani, quibus ipsa præsidebat, non solum non impenderit
eumque ut Regi supplicaret, permovere noluerit (id quod
D. Episcopus Alethensis nuper defunctus datis ad eadem
Comitia litteris enixè petierat) verum etiam neid fieret